


153168

VI Eg. 15. 4. 2.


~~168~~

543. P. h. 25.

03







DIURNUS  
SACERDO-  
TUM

CIBUS.

THE  
SACRAMENT

DICTIONARY

SACRAMENT

THE

CIRCUIT

THE

THE

DIURNUS  
SACERDOTUM  
CIBUS,

*Ad mensam Altaris*  
Prævius.

Ubi, quæ scire, vitare, per-  
agere debet Sacerdos, ex Sacris  
litteris, & sanctis Patribus  
summatim collecta sunt;

*Et Serenissimo Principi S. R. E.*

*Conte Card. Estensi*  
*à Nazarethani*

C. Alphons. Bonleo dicata  
*Oseas c. IV.*

Quia tu scientiam repulisti  
repellam te, ne Sacerdotio  
Fungaris mihi.

*Juxta exemplar. Bononia, 1667.*

*Labaci, Typis Joannis Georgij*  
*Mayr, Inc. Prov. Carn. Typog*  
*1711. Superiorum Permissu.*

153168

SACERDOTUM

LIBRIS

153168

153168

153168

153168

153168

153168

153168

153168


153168

153168




153168

153168

153168



N 900/1971



*SERENISSIME  
PRINCEPS.*

**S**acerdotalis  
muneris me-  
dulla è Sa-  
cris litteris, & Do-  
ctorum liberis ex-  
tracta, cuinam po-  
tissimū devovenda  
mibi fuit, quam A-  
a 3 qui-



quilæ emedullan-  
dis jam cedris pœni-  
tus assuetæ ? è cuius  
alis calamos excer-  
psère Sacri, qui de  
Sacerdotio scripsère,  
Doctores, quæquæ  
solem suû æternûm  
intuendi cupida æi-  
ris transcendens in-  
fima, cœlique petens  
sublimia, inter Em-  
pirei



pirei Alites candida-  
ta, per viæ lacteæ se-  
mitas albū sibi cum-  
paravit amictum.

Nec vereor, quin  
sacra hæc, quamvis  
per exigua medulla  
tam generoso (Se-  
renissime Princeps)  
sapiat palato, cui ni-  
si divina benè sapere  
consuevère. Quare

a 4 jam



jam gratulor eme-  
dullatae meae doctri-  
nae sub has piissimas  
alas extra livoris vi-  
as evoluturae: vati-  
cinante jam diu mi-  
hi propheta (a) Ego  
video volumen vo-  
lans. Volabit inquã.  
volumen hoc, donec  
aquila virtutis de-  
lat a pennis in surmo  
(a) Zach. V. Ro-





Romani Libani fastigio in foraminibus Petrae nidificatura quiescat. Sic Deus mea vota fortunet; orbi sublimes hujus aquilæ dotes latius patefaciendo. Tu enim (ut clarius loquar P. Ser.) Sacerdotibus speculum es sine maculâ:



*tu militantis Eccle-  
siae gloriosissimus  
cardo, tu denique  
purpuratorum prin-  
cipium amabilissi-  
ma idea, quam pro-  
fundissime inclinatus  
veneror:*

S. C. Tuæ

H. Fam. A. B.

Re-



*Regali Sacerdo  
tio Salutem.*

**G**Ranū sinapis flam-  
meis plenum vir-  
tutibus ori Eccle-  
siastico terendum, rumi-  
nandumque propono; cu-  
piens ignem abscondere  
Sacerdotum in sinum : &  
verò igneus hic libellus  
est: dum in eò non nisi  
Spiritus sanctus eloquia  
refulgent; & quia sapien-  
ti pauca; ideò brevissimè  
in unum redegei, quid quid  
efficacius & utilius S. Scri-  
ptura,




ptura, Canones, Concilia,  
Sanctique PP. de Sacerdo-  
tij dignitate, munere, ob-  
ligationibus, vitijs, virtuti-  
bus, poenis, præmijsque  
dixere. Quod ut melius  
agerem, omisi glossam sen-  
tentiarum, & citationem  
locorum, quorum fidelita-  
tem ego me paratum ex-  
hibeo, vel in fonte, vel  
apud gravissimos auctores  
ostendere: parvitatem er-  
go hujus libelli non dedi-  
gnemini ò Sacerdotes, sed  
sæpè eum fovete in mani-  
bus, semperque in marsu-  
pio gestate, sitque vobis ut  
cibus



cibus diurnus animæ, ut  
regula vitæ, ut orationis  
mentalis materies, ut præ-  
paratio ad Missam : nam  
idcirco per hebdomadas,  
& ferias, has distribui con-  
siderationes, ut quotidiè  
mens vestra proprio Elyxit  
vitæ refocilletur. Placeat  
interim Divinæ pietati  
consecrare & benedicere  
hunc, ut animabus conse-  
cratis pro sit ad vitam mi-  
hique Ecclesiasticorum sa-  
cerdoti indignissimo Sa-  
cerdotalium culparum  
ad veniam.

Heb.



# Hebdomada I.

## Die Dominico.

*Dignitas Sacerdotum Regalis.*

### CONSIDERATIO I.

**I**N lege naturæ, & in lege scriptâ, apud gentiles & Hebræos supra omnes dignitates mundi fuit in pretio Sacerdotium: Reges enim in multis orbis partibus erant Sacerdo-



dotes: & DEUS illis tanquam Regibus Tributa conferri jubebat.

Apud multas nationes Sacerdotes erant iudices populi: *Deut. XVII.* iussit. DEUS. Venies ad Sacerdotes, & facies, quodcunque dixerint, sequerisque sententiam eorum, qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.

A regibus summo in honore semper habitus sunt, ita ut Constantinus Imp. in primo Concilio Nicæno  
nun-



nunquam sedere ausus fuerit, antequam Sacerdotes confedisent.

Apud Hebræos summa dignitas filiorum regum erat Sacerdotium; ideo filij David Sacerdotes erant.

Sunt Sacerdos superiores regibus, undè *Chrysoft.* Si vis videre, quantum abest Rex à Sacerdotio, expende modum potestatis utrique traditæ, & videbis Sacerdotem multò sublimius Rege sedentem. Sacerdotis thronus in cælo positus est, & de cœlestibus

bus





bus negotijs pronuncian-  
di habet auctoritatem.

D. *Greg. Nazianz.* super  
illa verba Apoc. ( fecisti  
DEO nostro regnum & Sa-  
cerdotes ) ait, Imperium  
enim nos ipsi gerimus,  
multò etiam præstantius,  
& excellentius regno  
terreno.



FERIA



## FERIA II.

*Sacerdotes sunt plus  
quam homines, sunt  
Angeli.*

## CONSIDERATIO II.

**T**unc *Christus* voluit inferre Sacerdotes esse plusquam homines, cum ait: Quem dicunt homines esse filium hominis? postea conversus ad Apostolos ait: vos autem, quem me esse dicitis?

*Et Glossa interlinearis super illud Pauli ad Hebr. V. (omnis Pontifex ex hominibus*



nibus assumptus ) id est,  
ex com̄uni hominum sta-  
tu supra alios elevatus.

*Malachias* ait: Sacerdos  
Angelus Domini exerci-  
tuum est. Super quæ verba  
*S. Jo. Chryf.* Sacerdos DEI  
verissimè Angelus, id est,  
nuntius dicitur, quia DEI,  
& hominum sequester est.

Et *Jo. Ap.* scribens se-  
ptem Episcopis orientali-  
um Ecclesiarum vocat eos  
Angelos.

*Paulus* ad differentiam  
Sacerdotum, qui sunt An-  
geli terrestres, ait ad Gala-

tas :



tas : Etsi Angelus de cœlo &c.

Mandavit *idem Ap.* velari capita mulierum in Ecclesijs propter Angelos :/ propter Sacerdotes , ne oculi eorum contaminarentur.

*D. Hieron.* in carne præter carnem vivere, Angelica vita est. *Jo. Ap.* qui non nubent, neque nubentur, sunt sicut Angeli : idcirco quatuor Angelorum proprietates æmulari debemus : scilicet scientiam, castitatem, custodiã ovi-



um Christi, & legationem  
apud DEUM pro peccato-  
ribus.



FERIA III.

*Sacerdotes sunt Ami-  
ci DEI*

CONSIDERATIO III.

**I**Mperator ille sæculo-  
rum, qui nullam habet  
creaturam sibi æqualem;  
imò in cujus conspectu  
cœli non sunt mundi, &  
quæque nobilior creatura  
est vermiculo inferior: at-  
ta-



tamen pluries dignatus est  
amicos Appellare Sacer-  
dotes, postquam eos con-  
secravit, cum ait: jam vos  
non dicam servos, non  
enim hoc patitur dignitas,  
vobis collata, sed Amicos:  
& alibi; Dico autem vobis  
amicis meis, ne terre ami-  
ni. Undè *D. Greg. PP.* ex-  
clamat. O mira divinæ bo-  
nitatis dignatio! Servi di-  
gni non sumus, & voca-  
mur amici: quanta digni-  
tas est Sacerdotes esse,  
amicos DEI, magna &  
splendida ista præmia sunt.  
Verè



Verè in praxi DEUS Sa-  
cerdotes, ut amicos cha-  
rissimos tractat: nam si  
amicorum omnia commu-  
nia; DEUS non solùm com-  
municavit Bona fortunæ,  
naturæ, gratiæ & gloriæ;  
sed ( quod est infinitâ ad-  
miratione & amore di-  
gnum ) communicavit e-  
tiam propriam carnem &  
sanguinem.

Solent insuper amici in-  
ter se mutuò revelare se-  
cretiora arcana; & hoc  
DEUS-homo fecit, ut ipse  
testatur, dicens: omnia  
quæ-



quæcunq; audivi à patre  
meo, nota feci vobis.


Amicorum mensa com-  
munis. Nescivit Rex Da-  
vid melius remunerare fi-  
delissimũ amicũ, quam di-  
cendo illi; tu comedes pa-  
nẽ in mensã meã semper

Invitatus Aman à Rege  
Assuero, ò quam gloriaba-  
tur repetens: cras cum re-  
ge pransurus sum: sed, ò  
quã largè hoc munus  
contulit amicus JESUS  
cum, postquam suã car-  
ne in mensã pavit novos  
Sacerdotes, ait illis: Ego

di



dispono vobis, sicut di-  
sposuit mihi pater regnū,  
ut edatis, & bibatis super  
mensam meam in regno  
meo: & ideò quotidie in-  
vitatur ad mensam altaris,  
ubi in cibum illi dantur  
carnes amici JESU. O mira  
dignatio! O charitas!



FERIA IV.

*Sacerdotes sunt Dij.*

CONSIDERATIO IV.

**A**uctoritas absolven-  
di à peccatis est opus  
b DEI:



DEI: unde, quando Christus ait: O Homo, remittuntur tibi peccata tua; Dico tibi, et remittuntur tibi peccata tua; coeperunt turbæ dicere, Et quis potest dimittere peccata, nisi solus DEUS? Elias semel tantum clausit & semel aperuit cœlum, ut prohiberet, utque aperiret fontes aquarum; sed Sacerdos millies in die potest claudere cœlum, & aperire, ut fluant è sinu Altissimi fluentia gratiarum.

Benè igitur *David*: filios DEI Sacerdotes vocat;



cat, dicens: Afferte Domino filij DEI, afferte Domino filios arietum. Et *alibi*, DEUS stetit in Synagogâ Deorum in medio autem DEOS judicet. Et *alibi*: Ego Dixi Dii estis & *alibi*: nolite tangere Christos meos. Quodam modo (sanè loquendo) videntur plusquam Dii, dum toties in altari DEUM & humanitatem ejus S. Benedicunt. Vult DEUS, ut Sacerdotes suam propè invomensam dignitatem intel-



telligent ; unde , postquam illos ordinavit , ait : Scitis , quid fecerim vobis. Ideò filios Heli vocat filios diaboli , eò quod suam dignitatem Sacerdotalem non agnoverint : Filij Heli , filij Belial , nescientes Dominum , neque officium Sacerdotale.

DEUS ipse summo opere honorat Sacerdotes , & vult , ut honorentur ab hominibus : ait enim : nolite tangere Christos meos , & qui tangit vos ,


tan-



tangit pupillam oculi  
mei. Et per os Spiritus  
sanctus in totâ ajâ tuâ ti-  
me DEUM, & Sacerdotes  
honora. Et *alibi*: Honori-  
fica Sacerdotes. Et JESUS  
bis misit leprosos, & in-  
firmos ad Sacerdotes.  
Imò sciens Sacerdotes il-  
los esse Hypocritas tri-  
stes, attamen ait: omnia  
quæcûnque dixerint vo-  
bis, servate & facite. Et  
ipse DEUS & Homo sum-  
mâ promptitudine, &  
quam sæpissimè obedit Sa-  
cerdoti ad nutum ejus de-



scendens in hostiam & calicem.



FERIA V.

*Dignitas Sacerdotalis SS. PP. Sententiis comprobatur.*

CONSIDERATIO V.

**D**. *Dionys. Areop.* qui Sacerdotem dicit, augustiorem prorsus Divinūmque virum dicit, totiūsq; Sanctæ Scientiæ peritissimum.

*D. Ign.*



*D. Ign. Ep.* Sacerdotium est apex bonorum omnium, quæ sunt in hominibus.

*D. Greg. Naz.* num sibi honoris expers videtur hoc Sacerdotium, quod ipsi etiam Angeli purissimi DEI cultores venerantur, tanquam ipsorum cultui minimè impar.

*D. Ambros.* nil est in hoc sæculo excellentius Sacerdotibus, si quod sumus professione, actione, potius, quam nomine demonstramus, ne



fit nomen inane , & cri-  
men immane , ne sit ho-  
nor sublimis , & vita de-  
formis.

*D. Jo. Chrysoft.* Sacer-  
dotibus commissum est,  
ut ea, quæ in coelis sunt,  
dispensent : ijs datum  
est, ut potestatem habe-  
ant, quam DEUS opti-  
mus maximus nec Ange-  
lis, nec Archangelis da-  
tam esse voluit : neque  
enim illis dictum est: quæ-  
cunque ligaveritis super  
terram, erunt ligata &  
in coelis, & quæcunque  
sol-





ri. solveritis super terram,  
o. erunt soluta & in coelis.  
e. Etenim quidnam hoc  
d. aliud esse dicas, nisi om-  
r. nem rerum coelestium po-  
t. testatem illis à DEO esse  
t. concessam. Quid cum  
n. hoc honore conferri po-  
e. test? Sacerdos sedet ju-  
i. dex in terrâ, & DEUS  
e. sequitur ejus sententiam,  
i. & confirmat. Ut quid-  
e. quid hic in inferioribus  
2. judicaverit, hoc ille in  
r. superioribus com-  
t. probet.



FERIA VI.

*Ex D. Jo. Chrysoſt.*  
*Sententiis dignitas Sacerdotis ostenditur.*

CONSIDERATIO VI.

**S**I quis consideret, quantum sit mysterium Eucharisticum, probè is intelliget, quanto horiore, & quantâ dignitate Sacerdotes Spiritus sanctus gratiâ dignati fuerint. Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris, quod



quod Angeli videntes  
exhorrescunt, nec libe-  
re audent intueri pro-  
pter emicantem indè  
splendorem: hoc nos pa-  
scimur, huic unimur, &  
facti sumus unum Christi  
corpus & una caro. Au-  
diamus ergo Sacerdotes,  
quali mensâ facti sumus  
digni, & horreamus.  
Sanctis carnibus suis nos  
dedit impleri, semetip-  
sum apposuit immola-  
tum; quænam igitur no-  
bis erit excusatio, cum  
talibus pasti talia peccе-  
mus



mus , cum lupi fiamus  
agnum comedentes , ter-  
ribilia & honorifica sunt,  
quæ ad ministrat Sacer-  
dos. Non mortalis quis-  
piam , non Angelus , non  
alia quævis creata po-  
tentia , sed Deus ipse  
ordinem Sacerdotalem  
disposuit ; ideò Sacer-  
dos Rex dicendus est ,  
& multò honoratior.  
Nam si de bonis cœle-  
stibus agitur , Rex ad Sa-  
cerdotem confugere so-  
let , non vicissim.



## S A B B A T H O.

*Verbis D. Augusti-  
ni confirmatur dignitas Sa-  
cerdotum.*

## CONSIDERATIO VII.

**O** Veneranda Sacer-  
dotum dignitas, in  
quorum manibus, veluti  
in utero Virginis, DE I  
filius incarnatur! ô Sa-  
crum & cœleste mysteri-  
um, quod per vos Pater,  
& Filius, & Spiritus san-  
ctus operatur. Uno eo-  
démque momento idem  
DEUS, qui sedet in cœ-  
lis,



lis , in manibus vestri  
 est in Sacramento Alta  
 ris. O venerabilis San  
 ctitudo manuum ! O Fe  
 lix exercitium ! Ô verè  
 mundi gaudium ! Chri  
 stus tractat Christum :/  
 Sacerdos DEI filium ,  
 cujus sunt deliciae esse  
 cum filijs hominum , &  
 quod datum non est An  
 gelis , concessum est ho  
 mini. Sacerdos hoc in  
 effabile conficit myste  
 rium , & Angeli confi  
 cienti sibi quasi famuli  
 assistunt. Super hoc tam

in-



in signi privilegio stupet  
coelum, miratur terra,  
veretur homo, horret  
infernus, contremiscit  
Diabolus, & veneratur  
quam plurimum angeli-  
ca celsitudo. Si beatus  
est venter, qui novem  
mensibus Christum porta-  
vit, & beata debent esse  
corda eorum, in quibus  
quotidiè eligit hospitium  
filius DEI. Si beata sunt  
ubera, quæ parvulus su-  
xit, beatum debet esse os,  
quod carnem ejus sumit,  
& sanguinem fugit.

Heb-



## Hebdomada II.

Die Dominico.

*Admirabilis unio  
Sacerdotis cum Christi in  
Eucharistiâ.*

### CONSIDERATIO VIII.

**A** *It veritas*, qui man-  
ducat meam car-  
nem, & bibit meum san-  
guinem, in me manet, &  
ego in eo.

*Ideo Paul. vivo ego, jam  
non ego, vivit verò in me  
Christus.*

O ma-





O matrimonium purissimum, cui congruit. Jam non sunt duo, sed una caro, & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesiâ ait Paul. qui subjungit: membra sumus corporis ejus, & de carne ejus, & de ossibus ejus.

*S. Cyrillus.* Si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum alterâ commisceat necesse est: ita qui carnem, & sanguinem Domini recipit,



pit, cum ipso ita conjungitur, ut corpus in ipso, & ipse in Christo inveniantur.

*D. Greg. Nyss.* sicut parum fermenti sibi assimilat totam consersionem, ita corpus Christi, cum fuerit intra nos, totum ad se transmutat & transfert.

*D. Jo. Chrysost.* nos secum, & ut ita dicam, in unam massam reducit, neque idem fide solùm, sed re ipsâ nos suum corpus effecit.

Ideò



Ideò *S. Agnes* ajebat : jam  
 corpus ejus corpori meo  
 Sociatum est , & sanguis  
 ejus ornavit genas meas.

*D. Jo. Chrysoft.* ut itáque  
 non tantum per charita-  
 tem hoc fimus , verum  
 ipsâ re in illius misceamur  
 carnem , hoc per escam  
 efficitur , quam largitus  
 est nobis.

Ea re nos alimur, quam  
 Angeli videntes tre-  
 munt.





FERIA II.

*Quam strictè ratio  
reddenda à Sacerdotibus in  
die judicii.*

CONSIDERATIO IX.

**O** Quantum discrimen  
tunc erit inter exa-  
men Laici & Sacerdotis,  
inter siculum communem,  
& siculum sanctuarij; ô  
quantâ disquisitione uni-  
ca missa ventilabitur; quo  
fine, quo modo, quâ  
animâ accessisti ad tre-  
menda mysteria? Cui  
multum datum est (ait  
JE-



JESUS ) multum requi-  
retur ab eo ; & cui com-  
mendaverunt multum ,  
plus petent ab eo. Tibi  
ò Sacerdos commendati  
sunt thesauri omnes sapi-  
entiæ & scientiæ DEI in  
Christo siti , tibi data est  
potestas in corpus verum,  
& in mysticum Christi.  
Tibi datæ sunt claves cœ-  
li , ut aperias , & claudas  
illud laicis. Vide ergo ,  
ne tibi fors Balthazaris  
contingat in horâ exitûs  
tui , ne tuus Angelus ti-  
bi dicat ; appensus es in  
state-



staterâ , inventus es minus habens ; cui consequitur : projicite eum in tenebras exteriores &c.


*D. Hieron.* Sacerdotes in die judicij magnis suppliciis torquebuntur , & hoc Domini fiet judicio ut qui plus acceperunt , plus exigatur ab eis.

*D. Jo. Chrysoft.* auctor , ut asserunt , operis imperfecti , rem dicit horrendam. Laicus in die judicij stolam Sacerdotalem accipiet , & à DEO Chrysmate ungetur in

Sacer-



Sacerdotem ; Sacerdos  
autem peccator spoliabi-  
tur Sacerdotij dignitate.



F E R I A III.

*Sequitur idem Ar-  
gumentum.*

CONSIDERATIO X.

**S**Crutabor Hierusalem  
in lucernis, ait *Spiritus*  
*S. & Petrus Ap.* tempus est,  
ut incipiat iudicium à do-  
mo DEI :/; â Sacerdoti-  
bus ; & , ô quam tremen-  
dum iudicium fratres no-  
bis imminet !

Audite Sacerdotes , &  
atten-



attendite, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Osee. V.

*D. Jo. Chrysof.* verè magna confusio Sacerdotum, quando laici inveniuntur fideiores & iustiores, quã propter ait. Petr. Apost. Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestrã vocationem & electionẽ faciatis.

*D. Bernard.* Si altiorem & non meliorem esse delectat,





lectat, non præmium,  
sed præcipitium exspe-  
ctemus.

*D. Jo. Chrysoft.* grandis  
dignitas Sacerdotum, sed  
grandis ruina si peccent:  
lætetur ad ascensum, sed  
timeamus ad lapsum: non  
est tanti gaudii excelsa te-  
nuisse, quanti mæroris de  
sublimiori corruisse.

*D. Greg. P.P.* in illud  
(estote parati, quia quâ  
horâ non putatis &c.) ait:  
Sollicitè considerare nos  
admonet fratres, ne nos,  
qui plus cæteris in mun-

do



do accepisse cernimur ab  
 auctore mundi, gravius  
 indè judicemur.



FERIA IV.

*Quanta perfectio &  
 sanctitas requiratur in  
 Sacerdote.*

CONSIDERATIO XI.

**L**ongè major requiritur  
 sanctitas in Sacerdote,  
 quam in Monacho. Hoc  
 patet in sacris canonibus,  
 & antiquis PP. ex quibus  
 Hieron. scribens ad Rusti-  
 cum Monachum ait : Sic  
 vive



vive in Monasterio, ut merearis clericus esse: multò tempore disce, quæ postmodum doceas.

*D. Chryf.* Monachorum certamen in gens, verũ si conferas cum rectè administrato Sacerdotio, tantum discrimen comperies, quantum inter privatum & Regem.

Tanta erat sanctitas quorundam Sacerdotum Synagogæ, ut ad aperiendam arcæ viam per medium Jordanis suffecerit, ut pedibus Sacerdotalibus calca-



calcaretur iter undosum,  
 & sic siccato alveo per-  
 transiit arca. Sacerdotes  
 solo tubarum tinnitu mu-  
 ros Hiericho destruxe-  
 runt.

Eligit Deus Sacerdotes,  
 ut Aaron, ab omni vivente  
 offerre illi sacrificium, &  
 placare pro populo suo:

*D. Jo. Chryf.* Splendore vi-  
 tæ totum illuminantis or-  
 bem splendere debet ani-  
 mus Sacerdotis. *Idem.* Ve-  
 hementer Ecclesiam Dei  
 destruit, meliores laicos  
 inveniri, quam Sacer-  
 dotes.



FERIA V.

*Verbis Christi, &  
Apostolorum Petri & Pauli,  
& Conc. Tridentini confir-  
matur præcedens Do-  
ctrina.*

CONSIDERATIO XII.

**S**UAM sanctitatem re-  
quirit Christus in no-  
bis, dum ait : vos estis lux  
mundi, sal terræ, pastores  
ovium, piscatores homi-  
num, iudices sæculi, disci-  
puli & amici Dei.

*Ideo Apost. ait : repurge-  
mus nos dilectissimi ab o-  
c 3 mni*



mni inquinamento carnis  
 & Spiritus, perficientes  
 sanctificationem in timo-  
 re Dei, nec ullâ aliquâ in-  
 re dantes offensionem, ut  
 non vituperetur ministe-  
 rium nostrum, sed in om-  
 nibus commendemus nos  
 metipsos, ut DEI mini-  
 stros.

*Concil. Trid.* initio Sess.  
 14. ait: clerici laicis in vi-  
 tâ, sicut in officio præce-  
 dant. Et alibi. Moneant  
 Episcopi suos clericos, ut  
 conversatione, sermone,  
 & scientiâ DEI populo  
 præcant,




præeant, memores ejus,  
quod scriptum est Sancti  
estote, quoniam ego san-  
ctus sum.

*D. Pet. Ap.* sic conclu-  
dit. Vos autem genus ele-  
ctū, regale Sacerdotium;  
gens sancta, populus ac-  
quisitionis, ut virtutes  
ejus annuntietis, qui vos  
de tenebris vocavit in ad-  
mirabile lumen suum.

*Concil Trid.* clerici levia  
delicta (quæ in ipsis maxi-  
ma essent) effugiant, ut  
eorum actiones cunctis  
afferant venerationem.



Sic vivant clerici, ut possint cum Paul. Ap. dicere: nostra conversatio in cœlis est, non in plateis, non in theatris, non in comessationibus & ludis; sed in cœlis, in cellâ, in Ecclesiâ, in Hospitalibus & Oratorijs.



FERIA VI.

*Sacerdotū crimina  
quam graviter ledant Di-  
vinam majestatem.*

CONSIDERATIO XIII.

**D** Jo. Chrys. nullâ re  
Deus magis offen-  
ditur



quam quod indigni, & peccatores Sacerdotii dignitate præfulgeant.

*Idem.* Si privatim pecces, nihil tale passurus es, si in Sacerdotio peccas, periisti.

*Idem.* Dico horribile quoddam, atque tremendum: non est ita malum in Ecclesiâ Dei dæmoniacos esse, sicut Sacerdotes, qui peccatorum sordibus inquinantur: hoc enim pessimum est, ut ait Paul. Christum conculcare, & sanguinem ejus pollutum



ducere, & Spiritui gratiæ contumeliam facere; nullus igitur impuro animo, sicut Judas panem coelestem assumat.

*D. Aug.* gravius peccant indigne offerentes Christum regnantem in coelis, quam qui eum crucifixerunt ambulantē in terris.

*D. Greg. P. P.* nullum puto, fratres charissimi, majus præjudicium ab aliis, quam à Sacerdotibus tolerat DEUS, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se  
 exem-

exempla pravitatis cernit  
quando ipsi peccamus, qui  
compescere debemus.

*D. Jo. Chryf.* graviora fi-  
unt vulnera propter Sa-  
cerdotis, qui ea commisit  
dignitatem.



SABBATHO.

*Verbis S. Scriptur.*

*comprobatur præcedens.*

*veritas.*

CONSIDERATIO XIV.

**Q**uam amarè con-  
queritur DEUS apud  
*Hierem.* dicens: quid est,  
quod dilectus meus in do-



mo mea fecit scelera multa. Et Psal. LIV. si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu verò ô Dux meus & notus meus, qui simul dulces mecum capiebas cibos: / : in mensâ altaris. Et apud *Malach.* II. vos autem recessistis de viâ & Scandalizastis plurimos in lege.

Et *Malachiæ* I. filius honorat patrem & servus dominum suum, si ergo pater ego sum, ubi est honor meus; & si dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituû:



ad vos Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te?

Et per os Isaiaë tenerè flet ingratitude Ecclesiasticorum, dicens: filios enutrivi, & exaltavi, ipsi verò spreverunt me. Enutrivi meâ carne & sanguine: exaltavi ad Sacerdotium, apicem omniû bonorum, ipsi verò pejores Judâ & Satanâ suis sceleribus spreverunt, me DEUM summum bonum.

Heb<sub>2</sub>




---

 Hebdomada III.

Die Dominico.

*Quam severè Sacer-  
dotum culpas castigat omni-  
potens.*

## CONSIDERATIO XV.

**A** Mos III. DEUS sic ait:  
quia tantummodo  
vos : / : Sacerdotes, co-  
gnovi ex omnibus cogna-  
tionibus terræ : idcirco  
visitabo super vos omnes  
iniquitates vestras.

*Deut. XXI.* Sicut antea  
lætatus est Dominus su-  
per vos benefaciens vo-  
bis,



bis, sic lætabitur subvertens vos, atq; disperdens. Intelligite hoc Sacerdotes, qui obliviscimini DEum: ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.


Nobis Sacerdotibus dictum est illud *Psal.* LXVIII. fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Rarò obliviscitur DEus peccatorum Sacerdotum. De peccato Heli ait: idcirco juravi domui Heli, quod non expiatur iniquitas domus ejus usque in sempiternum.

Pec-



Peccatum Ozæ levissimum quam severè punitum fuit. Iratus est dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum, & mortuus est ibi juxta arcam. O terribilia judicia Dei! quis non timebit te Rex virtutum.

Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? *Hierem. XI.* noli hoc sperare, ô anima prævaricatrix.





FERIA II.

*Sequitur idem ar-  
gumentum.*

CONSIDERAT. XVI.

**P**ostquam DEUS Eze-  
chieli ostendit abomi-  
nationes futurorum Sa-  
cerdotū, ait: non parces  
oculus meus, nec misere-  
bor, & cum clamaverint  
ad aures meas voce ma-  
gnâ, non exaudiam eos.  
Hoc est, contra illam sen-  
tentiam toties è suggestu  
decantatam, sed â me  
nunquam in scripturis in-  
ventam, :/: etiam quacūn-  
que



que horâ ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordabor amplius. Nunquam sic locutus est Ezechiel; sed verè Cap. XVIII. v. 21. ait: si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatur est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur: omnium iniquitatũ ejus, quas operatus est, non recordabor.

Per os *Malachia* ait DE-




us. Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes; si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. O comminatio tremenda, & plena horribilis! & paulò post ait: propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles in omnibus populis, sicut non servastis vias meas. Propter



ter scelera nostra permit-  
tit DEUS nos parvipendi à  
laicis, & gravari pensioni-  
bus à Prælatiſ. Quid ergo  
agendum, ut tanta flagella-  
vitemus? Custodiant præ-  
cepta mea, ut non subja-  
ceant peccato, & mori-  
antur in ſanctuario.

*Levit. XII.*



FERIA III.

*Sequitur idem ar-  
gumentum.*

CONSIDERAT. XVII.

**I**N revelationibus S. Bir-  
gittæ ſæpiſſimè DEUS  
con-



conqueritur super iniquitate Sacerdotum, exaggerans gravitatem &c. Vocans eos: peiores judæis, & paganis & omnibus aliis delinquentibus, asserens, majora illis supplicia & tormenta esse reservata in inferno, & majori supplicio puniendos, quam Judam. Et in quodam capite replet eos mille horrendis maledictionibus. Et in fine maledicit JESUS, quidquid edunt, bibunt, tangunt, elementa, quæ eos



eos sustentant. Et illæ re-  
velationes sæpius ab Ec-  
clesiâ approbatæ fuerunt.

*Deut. XXVIII.* percu-  
tiet te dominus egestate,  
febri, frigore, & ardore,  
& æstu, & aëre corrupto  
ac rubigine, & perseque-  
tur, donec pereas. Punivit  
DEUS Moysen & Aaron  
Sacerdotes propter pec-  
catum leve reputatum,  
quia hæsitaverunt in Fide  
ad percussioneñ petræ &c.  
nolens propter hoc eos  
ingredi terram promif-  
sionis.

Nadab



re- Nadab, & Abiud filii  
Ec. Aaron statim ac fuerunt  
int. ordinati, fuerunt â Deo  
cu. morte improvisâ percussi,  
te, quia in thuribulis posue-  
re, runt ignem non institu-  
pto tum â Deo, peccatum pri-  
ue. mâ facie admodum leve.  
ivit Quid fiet de Sacerdoti-  
on bus, qui vel vendunt Chri-  
ec. stum ignem divinum, vel  
m; ignem luxuriæ ad altare  
ide circum ferunt. Heu  
&c. Horror!





FERIA IV.

*DEUS adeò severe  
punit culpas Sacerdotum,  
quia ipsi sunt petra scandali  
& causa peccatorum  
populi.*

CONSIDERAT. XVIII.

**D.** *Greg. ruinæ populi  
maximè ex culpa  
Sacerdotum sunt.*

*Et alibi. Quanto mundus  
gladio feriatur, aspicitis,  
quibus quotidie percus-  
sionibus populus punia-  
tur, videtis; cujus hoc nisi  
ex Sacerdotum peccato  
agitur. Nos pereundi po-  
pulo*





pulo auctores mortis existimus: qui esse debemus duces ad vitam; ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia nostra negligentia ad vitam erudita non est.

*D. Bern.* misera Sacerdotum conversatio Dominicæ plebis miserabilis subversio est.

*D. Ambros.* populum videmus nugacem, & indoctum, eo quia tales habeat Sacerdotes.

*D. Jo. Chrys.* Si Sacerdotes fuerint in peccatis,  
d totus



totus populus convertitur ad peccandum; ideo Sacerdotes non solum pro suis, sed pro omnium peccatis rationem reddaturi sunt.

*D. Aug* quid in die iudicii futurum est de Sacerdotibus, à quibus sunt omnes animæ exquirendæ?

*D. Jo. Chrys.* Sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum procedit. Cum videris populum indisciplinatum, cognosce, quia in Sacerdotibus culpa est.

Hic.



Hieremias & Ezechiel  
ajunt, vastationem illam  
horrendam Hierusalem fa-  
ctam à Chaldæis proces-  
siffe ob peccata Sacerdo-  
tum.

## FERIA V.

*Summopere tenen-  
tur Sacerdotes dare de se po-  
pulo exempla virtutum.*

## CONSIDERAT. XIX.

**S***ancta Judith aurea ver-  
ba: vos estis Presbyte-  
ri in populo DEI, & ex vo-  
bis pendet anima eorum,  
ad eloquium vestrum cor-  
da eorum erigite.*



*D. Paul.* ait Tito. in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate.

*Et alibi.* Sic non existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI.

*Concil. Trid.* nihil est, quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. In eos tanquam in speculum reliqui oculos



los conjiciunt, & ex eis  
sumunt, quod imitentur.  
Qua propter decet cleri-  
cos in sortem Domini vo-  
catos vitam morésque su-  
os ita componere, ut ha-  
bitu, gestu, incessu, ser-  
mone, nil nisi grave, mo-  
deratum ac religione ple-  
num præ se ferant.



## FERIA VI.

*Scientia quam ne-  
cessaria in Sacerdote.*

## CONSIDERATIO XX.

**O***Seas.* Quia tu scienti-  
am repulisti, repel-  
lam



lam te, ne Sacerdotio  
fungaris mihi. Grandis  
comminatio.

*Malach.* labia Sacerdo-  
tis custodiunt scientiam,  
& legem requirent de ore  
ejus. Jussit DEUS Sacerdo-  
tibus, ne biberent vinum.  
Ut habeatis scientiam di-  
scernendi inter sanctum  
& profanum.

*D. Jo. Chryf.* ad Sacerdo-  
tem pertinet, non solum  
scire legē, sed ad interro-  
gata respondere de lege.

*Idem.* Quid est Sacer-  
dotale cor, nisi arca te-  
sta-

sta-




stamenti, in quo, quia doctrina Spiritualis viget, tabulæ legis jacent. Et tamen hodiè, quanta ignorantia viget in clero, quæ non esset, si Episcopus initiandos publicè docere juberet doctrinam concilij & catechismi; nec ullos ad examẽ, nisi prius per octo dies exercitijs spiritualibus se munierint, & publicè doctrinam christianam exercuerint.

S. Furseo Epif. raptò ad æterna supplicia vivenda,



dixi Angelus : orbem ferè  
totum superiorum cujus-  
vis ordinis negligentia  
interire.



SABBATHO.

*Impuritas, quam  
enorme scelus in Sacer-  
dote.*

CONSIDERAT. XXI.

**H**omo, qui accesserit  
ad ea, quæ sanctifi-  
cata sunt, in quo est im-  
munditia, peribit coram  
domino. Levit. XXII.

Oza cecidit mortuus an-  
te



te arcam, quia secundum aliquos Doct. fuerat cum uxore nocte antecedenti. Filios Heli tam horrendè punivit Deus, quia parum casti in illis sacrificij, quæ erant mera umbra nostri sacrificij.

S. Theresia vidit duos dæmones suffocantes Sacerdotem ad altare, quia erat pullutus, & nisi ipsa orasset, mortuus ad altare cecidisset.

D. Paul. nescitis, quia templum DEI estis, si quis autem templum DEI violaverit, disperdet illum



DEUS. Si laicus est templum DEI, quantò magis Sacerdos?

*Alibi.* Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi; tollens ergo membrum Christi, faciam membrum meretricis? Absit. Christus, qui è virgine nasci voluit, & in coelis stat semper, septus choris virginum, qui sequuntur agnum: quomodo patietur se tractari manibus immundis, & sumi ore illo polluto: quo paulò antè basia meretrici impressit?

Heb.



## Hebdomada IV.

Die Dominico.

*Sequitur idem argumentum.*

CONSIDERAT. XXII.

**D** Hieron. super verba  
Ezech. Sacerdotes  
ejus polluerunt sanctum:  
ait: corpus Christi pol-  
luet immundus accedet  
altare.

D. Jo. Chryf. illi, qui non  
mundâ animâ corpus  
Christi accipiunt, idem  
supplicium perferunt cum  
illis,



illis, qui eum clavis cruci affixerunt.

*D. Paul.* ad Hebr. irritum quis faciens præceptum Moyſi, absque ullâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium DEI conculca- verit, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.


Pœnitentias gravissimas sacri canones, & Concil. pro fornicatione impo- suerunt, inter quos *Grati- anus* dist, 83. refert hunc cano-



ci canonem. Presbyter, si fornicationem fecerit, decem annis pœniteat in hunc modũ: tribus mensibus solo pane, & aquâ humi semper prostratus in sacco veniam imploret, postea unum annum cum dimidio in pane & aquâ expleat, exceptis dominicis, & festis; deinde usquẽ ad septimum annum tres dies hebdomadæ in pane & aquâ jejunet: à septimo anno usque ad decimum in pane & aquâ sextâ feriâ jejunet.



Hoc certum est, quod à canonibus sacris clerici ob simplicem fornicationem perpetuò irregulares declarabantur.



F E R I A II.

*Sequitur idem argumentum.*

CONSIDERAT. XXIII.

**V** P.M. Avila narrat de quodam Sacerdote impuro, cujus manus ad altare exustæ remanserunt. *Alius* dum fumeret corpus Christi, crepuit.

D.



*D. Paul.* scribit, multos in primitivâ Ecclesiâ, ob indignè sumptam Eucharistiam morte improvisâ, vel longâ infirmitate periisse. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.

*D. Jo. Chryf.* narrat, suis temporibus multas publicas infirmitates, & calamitates accidisse ob indignè sumptum SS. Sacramentum.

Ideò fratres, ait *D. Cyprian.* unus quisque consideret, non quod alius  
pas-



passus sit, sed quid iste pati mereatur: nec evasisse se credat, si interim poena distulerit: cum timere plus debeat, quem sibi iudicis censura reservavit.

O quam horrendum est incidere in manus DEI viventis, qui ait, mihi vindicta, & ego retribuam. Pleni sunt Annales terribilium casuum, quos ob brevitate non refero. Ideo Sacerdotes, qui accedunt ad dominum, sanctificentur, ne percutiat eos dominus.

D.






*D. Dionys. Carth.* ait:  
Angelum revelasse servo  
DEI, ferè nullos in purga-  
torio Sacerdotes inveni-  
ri; eò quia, qui sanctè vi-  
vunt, illicò coelũ intrant,  
vel parum in igne moran-  
tur; cæteri, qui impurè  
vivunt, damnantur, non  
permittens DEUS ob gra-  
vem injuriam illatam or-  
dini & Sacramento, ut ve-  
rè pœniteant. Cui con-  
cordant *D. Jo. Chrys.* verba.  
Non temerè dico, sed ut  
affectus sum, ac sentio;  
non arbitror inter Sacer-  
dotes



dotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. In causâ est, quia res excelsum requirit animum, & innumeris oculis illis opus est undique.



### FERIA III.

*Summa debetur cura in castitate servandâ, exemplo Sacerdotum gentilium.*

### CONSIDERAT. XXIV.

**A**thenienses Sacerdotes vivebant in spe.



speluncis. Ne (ut ait Plut.)  
contagione aliquâ eorum  
castitas labefactaretur.

Sacerdotes Ægyptii  
carnibus, vino, & omni  
obsonio abstinebant, lon-  
gè à mulieribus & propin-  
quis, semper in templo,  
panem & oleum rarò, lac  
& ova edebant nunquam;  
cubile de folijs palma-  
rum, bidui, triduíque ine-  
diam sustinentes, ut hu-  
mores corporis nimiâ vi-  
ctûs castigatione sicca-  
rent.

Hæc D. Hieron. & hi  
non



non erant Monachi The-  
baidis, sed gentiles; quid  
fiet de nobis in iudicio  
comparatis cum Sacerdo-  
tibus dæmonis.

*D. Chrysoft.* Sacerdotem  
Christi sic necesse est esse  
purum, ac si in cœlis ipsis  
collocatus, inter cœlestes  
illas virtutes medius sta-  
ret.

*Idem.* Quò igitur non  
oportet esse puriorem tali  
fruentem sacrificio? Quò  
solari radio non splen-  
diorem manum, carnem  
Christi dividentem? os,  
quod

quod igne Sprituuali reple-  
tur? linguam, quæ tre-  
mendo nimis sanguine  
rubescit?

*D. Aug.* O Sacerdotes,  
si animâ cujuslibet justî  
sedes est DEI; multò ma-  
gis sedes & templum vos  
esse debetis mundum &  
immaculatum. Carnes  
ergo vestras cum timore  
ejus configite.





## FERIA IV.

*Sacerdotes tenentur  
vacare à curis secularibus,  
ut orationi, studio, verbo  
DEI, Sacramentis, & pijs  
operibus dent operam.*

## CONSIDERAT. XXV.

**I**N canone quodam  
Apostolorum legitur  
ita. Episcopus aut Sacer-  
dos, aut Diaconus, ne-  
quaquam sæculi curas as-  
sumant, sin aliter, deji-  
ciantur. Et in alio cano-  
ne. Non oportet Episco-  
pum, aut Presbyterum,  
aut



aut Diaconum publicis se  
administrationibus im-  
mittere, sed vacare, &  
commodum se præbere  
usibus Ecclesiasticis. In  
animum ergo inducant  
hoc facere, aut deponan-  
tur; nemo enim potest  
duobus dominis servire.

*Concil. Carthag.* Episco-  
pus vel Sacerdos tuitio-  
nem testamentorum non  
fufcipiat; & nullam ad se  
rei familiaris curam revo-  
cet: sed lectioni, & oratio-  
ni, & verbo prædicatio-  
nis tantummodo vacet.



*Clemens PP.* Sacerdotem oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjiciat, nè fidei jussor existat, nè advocatus litium fiat, neque in ullâ aliquâ occupatione profus inveniat mundialis officij occasione perplexus: ne prælocatus præsentibus hominum curis non possit verbo DEI vacare.

Et quia multi dicunt hos canones in desuetudi-





nem abiisse ; audiamus ,  
quid *Concil. Trident.* dicat.  
Statuit sancta Synodus ,  
ut que alias à summis Pon-  
tificibus & sacris Conci-  
liis de clericorum vitâ ,  
honestate , cultu , doctri-  
nâ retinendâ , ac simul de  
luxu , comestationibus ,  
choreis , aleis , lusibus ,  
aliisque criminibus , nec  
non sæcularibus negotiis  
fugiendis copiosè , ac  
salubriter sancita sunt ;  
eadem imposterum iis-  
dem poenis , vel majo-  
ribus , arbitrio ordinarii  
e im-



imponendis observentur.  
Si quæ verò ex his in de-  
suetudinem abiisse, Epi-  
scopi comperierint, ea  
quamprimùm in usum  
revocari, & ab omni-  
bus acuratè custodiri  
studeant.





## FERIA V.

*Sacerdotes tenentur  
ad paupertatem.*

CONSIDERATIO  
XXVI.

**D** *Bern.* Quidquid  
præter necessariũ  
victum & vestitum de al-  
tari retines, tuum non  
est, rapina est, sacrile-  
gium est. Nam *D. Paul.*  
ait: habentes alimenta,  
& quibus tegamur, his  
contenti simus. Dixit  
quibus tegamur, non qui-  
bus luxuriemur, non qui-  
bus superbiamus.



*Concil. Carth.* Episcopi  
modestâ suppellectili, &  
mensâ, & frugali victu  
contenti sint, & hoc ad  
sanctam Romanam Ec-  
clesiam pertinere decer-  
nit.

*D. Bern.* Væ tibi cleri-  
ce, qui peccata populi  
comedis, bonum erat ti-  
bi magis fodere vel men-  
dicare. Venient clerici  
ante tribunal Christi,  
audieturque populorum  
querela gravis, accusatio  
dura eorum, quorum  
clerici stipendiis vixere.  
Quid



Quid tibi insipiens divitiarum sapiunt, quibus mercaris tam grave iudicium?

*Idem.* De altari, cui servit, vivat clericus, non loculos congreget, nec vanitate, vel superfluitate dispergat: nec extollat de facultatibus Ecclesie confanguineos suos.

*Idem.* Ea, ô Sacerdos, noveris in iudicio tibi imputanda, quæ inter delicias comedis & parvi pendis.

*D. Hieron.* clericum ex



inopi divitem, ex ignobili nobilem tanquam pestem fuge.

*D. Paul.* Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.

*D. Aug.* pauperem vitam Sacerdos gerere debet, quod superest præter victum, & vestitum pauperibus dare non differat, quia omnia, quæ habet, pauperum sunt.

*S. Thom.* de Villa nova sic ait : fratres, si horâ mortis meæ Christus meus  
me



me invenerit habentem  
unum tantum Julium in  
crumenâ, animam meam  
certò damnatam credite,  
nec me sepeliatis in loco  
sacro.

*Idem.* S. ajebat : cum  
audio clericum aliquem  
beneficiatum in morte  
apud se habuisse num-  
mos ; Sic dolore afficior,  
ac si mihi diceretur , il-  
lum fuisse mortuum juxta  
concubinam ; qui pari  
modo damnatum credo  
clericum , qui de bo-  
nis Ecclesiæ thesaurizat,  
c 4 . quam



quam qui vivit in concubinato. O Verba tremenda!

*Idem.* Dominus in die judicii quæret rationem de bonis Ecclesiæ, sicut de re furtâ; si malè expendantur.







FERIA VI.

*Beneficiati ad quid  
teneantur.*

CONSIDERATIO  
XXVII.

**D** Thom. Aquin. Bonorum Ecclesiasticorum clerici non sunt verè domini, sed dispensatores.

D. Hieron. Quidquid habent clericis, pauperum est, & maximè curandum est illis, ut de decimis & oblationibus, cænobiis



& Xenodochiis, qualem potuerint, sustentationem impendant.

*D. Ambr.* de se agebat: omnia, quæ habeo, pauperum sunt.

*D. Hieron.* juxta SS. PP. traditionem novimus, res Ecclesiæ vota fidelium esse, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Hunc tremendum canonem refert *Gratianus*: Si res Ecclesiasticas Episcopus in suas proprias voluptates usurpare voluerit, aut propinquis dederit,



derit, hunc oportet reum  
esse Concilio.

*Verba Concil. Trid. sunt.*  
Omniñò sancta Synodus  
interdicit, ne Episcopi &  
præbendati ex redivibus  
Ecclesiasticis consangui-  
neos, familiarésque suos  
augere studeant.

Et *Gratianus* verbis Ur-  
bani PP. concludit. Si  
quis autem secus egerit,  
videat, ne damnationem  
Ananiæ & Saphyræ per-  
cipiat, & reus sacrilegii  
efficiatur, sicut qui fraudaverunt prædia pauperum.



*D. Hieron.* Clerici, qui de bonis parentum sustentari possunt, si quid pauperum percipiunt, sacrilegium committunt.

*Philippus* Cancellarius Parisiensis post mortem apparuit Episcopo, dicens, se esse damnatum ob defensionem pluralitatem beneficiorum.

*Alius* Presbyter apparuit damnatus, eò quod noluit renuntiare alia beneficia, uno retento, post damnatam Parisiis eorum pluralitatem. Hæc Doctissimus Cantipratanus.



SABBATHO.

*Ambitio dignita-  
tum ruina Ecclesiastico-  
rum.*

CONSIDERATIO  
XXVIII.

**D** Jo. Chryf. dum mi-  
ror, si potest sal-  
vari aliquis Rectorum,  
video tamen aliquos  
etiam concurrere, & præ-  
cipitare semetipfos in  
tantam molem, & diffi-  
cultatem regiminis. D.  
Greg. Naz. nemo sapiens  
læto





læto animo creatur Epi-  
scopus, si quis pericula  
& supplicia ei proposita  
considerat: atque adeò  
stultus videri potest, qui  
cum viam complanatam,  
& expeditam ingredi pos-  
sit, spontè se in locum an-  
gustum, periculorùmque  
redegerit.

*D. Jo Chryf.* Episcopa-  
tus Oceanus curarum,  
abyssus laborum & do-  
lorum.

*D. Cyprian.* sicut perem-  
ptoria est altitudo quæsi-  
ta, sic periculosissima est  
oblata. *D.*

*D. Bernardus.* De malis  
Prælatiſ ait : Vos dum  
luxuriando peritis, pau-  
peres Spoliando pe-  
rimitis.





CONSIDERATIONUM  
INDEX

Hebdomada I.

Die Dominico. Regalis  
Sacerdotum dignitas.

pag. 2.

Feria II. Sacerdotes sunt  
plus quam homines,  
sunt Angeli. 6

Feria III. Sacerdotes sunt  
amici DEI, 9

Feria





Feria IV. Sacerdotes sunt  
Dii. 13

Feria V. Sententiis SS.  
PP. hæc dignitas com-  
probatur. 18

Feria VI. Ex D. Jo. Chry-  
sost. eadem ostendi-  
tur. 22

Sabbatho ex D. Augusti-  
no confirmatur. 25

## Hebdomada II.

Die Dominico. Admiran-  
da unio Christi & Sacer-  
dotis in Eucharistiâ. 28

Feria II. Quam strictè  
ratio reddenda in judi-  
cio à Sacerdotibus. 32

Feria



Feria III. Sequitur idem  
argumentum. 35

Feria IV. Quanta perfe-  
ctio requiratur & san-  
ctitas in Sacerdote. 38

Feria V. Verbis Christi,  
Apostolorum Petri &  
Pauli, & Con. Triden-  
tini confirmatur præ-  
cedens doctrina. 41

Feria VI. Sacerdotum cri-  
mina, quam graviter  
lædant Divinam maje-  
statem. 44

Sabbatho. Verbis S. Scri-  
ptur. idem compro-  
batur. 47

Heb-



## Hebdomada III.

- Die Dominico. Quam se-  
verè Sacerdotum cul-  
pas castigat omnipo-  
tens. 50
- Feria II. Sequitur idem  
argumentum. 53
- Feria III. Eadem propo-  
sitió confirmatur. 56
- Feria IV DEUS adeò pu-  
nit culpas Sacerdotum,  
quia ipsi sunt petra scã  
dali & ruina populi. 60
- Feria V. Summoperè te-  
nentur Sacerdotes da-  
re de se laicis exempla  
virtutum. 63
- Feria



Feria VI. Scientia, quam  
necessaria in Sacer-  
dote. 65

Sabbatho. Impuritas,  
quam enorme sacrile-  
gium in Sacerdote. 68

## Hebdomada IV.

Die Dominico. Idem titu-  
lus sequitur. 71

Feria II. Eadem proposi-  
tio comprobatur. 74

Feria III. Summa debetur  
cura in castitate ser-  
vanda, exemplo genti-  
lium Sacerdotum. 78

Feria IV. Sacerdotes te-  
nentur vacare à curis  
sæcu-



fæculi, ut orationi, studio, verbo Dei, Sacramentis dent operam. 82

Feria V. Sacerdotes tenentur ad paupertatem.

87

Feria VI. Beneficiati ad quid teneantur. 93

Sabbatho. Ambitio dignitatum, ruina Ecclesiasticorum. 97

**FINIS.**



*Reimprimatur.*

Ex Officio Episco-  
pali Labaci die 21.  
Octob. Anno 1710

Joannes Antonius Thal-  
nitscher de Thalberg,  
SS. Theol. Doctor, Ca-  
thedralis Ecclesiæ La-  
bacensis Decanus, Cel-  
sis. & Reverendis Prin-  
cipis, & Episcopi La-  
bacensis Vicarius Ge-  
neralis.



